




TIBRID
MII

18
2

00
A
1945





Nr
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25



Nr.	Præfides	
1.	De Jena	De incendiiorum iure.
2.	Mauselin	- limitibus.
3.	Romanus	- nocte.
4.	Rhetius	- Medicis.
5.	Rheyer	- intervallo eiusq; juribus.
6.	Stryck	- jure Cratium.
7.	Böttcher	- jure Sigillorum.
8.	Werner	- jure confusionis
9.	Schultz	- jure commendationis
10.	Rhetius	- metu eiusq; operationibus
11.	Rhetius	- iure et iudicio fortune.
12.	Rhetius	- jure tertii.
13.	Schroeter	- equis publicis.
14.	Willenberg	- jure credulitatis.
15.	Ziegler	- iure viarum publicarum.
16.	Ziegler	- iure Clavium.
17.	Bodinus	- iure circa ebrietatem.
18.	Göder	- iure metallico.
19.	Rode	- iure Riparum.
20.	Chano	- iure amicitie.
21.	Carpzov	- commendatione
22.	Schmidt	- censu emigrationis
23.	Eichel	- iure detractionis.
24.	Engelbrecht	- iure pasceendi.
25.	Fritsch	- iure oenopolii.

Nr. Praesides

- | | | |
|-----|-----------|-----------------------------------|
| 26. | Fritsch | De Mese. |
| 27. | Happel | - fodinis. |
| 28. | Harprecht | - Nive. |
| 29. | Heilsberg | - iure circa fortuita. |
| 30. | Falkner | - iure conviviorum. |
| 31. | Beckmann | - iure ludendi. |
| 32. | Herper | - privilegii pauperum. |
| 33. | Ziegler | - iure victualium. |
| 34. | Friesen | - iure circa litteras resignatas. |
| 35. | Bodinus | - iuribus infirmorum. |

DISSERTATIO INAUGURALIS

DE

JURE METALLICO

quam

DEO DUCE

ex

Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS

in Inclyta Noricorum Academia

PRO LICENTIA

impetrandi

GRADUM DOCTORALEM

in utroq; Jure

publico & solenni examini

submittit

VALENTINUS RÖDERUS

SMALCALD:

d. Mens. Octob.

ANNO æræ Christ. M. DC. LV.

ALTDORPHI

Typis GEORGI HAGEN, Universitatis
Typographi.

XXXI. 560
78
Viro
Nobilissimo Ampli
& Excellentissimo
hami Brunnenamo
et prof. publ. in Incl
Viadrina. Patrono &
ceptori suo summe vene

SERENISSIMO & CELSISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO

DN. GUILIELMO
HASSIÆ LANDGRAVIO PRINCIPI
HIRSFELDÆ COMITI CATIME-
LIBOCI DECIE ZIGENHAINÆ
NIDDÆ ET SCHAUENBURGI &c.

DOMINO SVO CLEMENTISSIMO

*Dissertationem hanc inauguralem
in
Humilima subjectionis testimonium
submissè consecrat*

Valentinus Röderus.



I. N. S. S. T. A.
 DISSERTATIONIS INAUGURALIS
 D E
 JURE METALLICO
 MEMBRUM I
 De Principiis Juris Metallici.

P O S I T. I.

Ractaturi Jura Metallorum, non operæ
 precium ducimus, nominis Metallidisquisitioni
 diu insistere, an à Græco id an v. ab Ebraico verbo
 descendat, ne potius molestum quendam no-
 menclatorem agere videamur. Sufficiat itaq;
 nobis de re ipsa constare, quidnam voce ista
 intelligatur, cum *Andrea Gailio. lib. 2. de pac. publ. c. 1. n.*
15. & Herman Goehaus. per. Acad. part. 1. peric. 6. q. 41. Quamvis
 autem in jure vox illa sumatur etiam pro genere poenæ *l. 6. §. fin.*
ff. ad L. ful. pecul. quâ damnati dicebantur metallici, quasi metal-
 lo addicti & mancipati. *l. 8. §. 8. l. 10. §. 1. l. 36. ff. de poen. l. fin. C.*
de postlim. revers. ex communi tamen loquendi usu, qui ma-
 ximè in Jure obtinet *Manserius in apostill. ad Jason. ad rubr. C. de*
nov. oper. nunc. n. 6. & 7. lit. h. satis manifesta est ejus significa-
 tio, quam hîc explicare, esset solem facibus illustrare *c. 7. q. 1. 6.*
Bernhard. Landrinus. in not. ad consil. Bartoli. consil. 1. Sumitur au-
 tem vox metalli in Jure. 1. latissimè, ita ut sub eo quæcunq; mi-
 neralia, quæ è terra etui possunt, contineantur vid. *l. 9. §. 2. & 3.*
l. 13. §. 5. ff. de usufruct. l. 3. §. fin. de reb. cor. qui sub tut. 2. pro
 A 2. iphs



plis fodinis ut in d. l. 3. §. fin. ff. de reb. eor. l. 8. §. 4. ff. de pœn. l. 6.
§. fin. ad L. Jul. pecul. l. 38. pr. de pan.

I I.

Fodinæ autem dicuntur quôq; 1. venæ metallorum. d. l. 13.
§. 5. l. 3. C. de metall. l. 1. ibiq; Cujac. & Gothofr. C. de fabricens. 2.
mineræ A. B. Carol. IV. tit. 9. in specie autem auri: argenti fodi-
næ. d. l. 13. §. 5. de usufr. Sic quoq; Sulphurariæ l. 52. §. 8. ff. de furt.
Cotoriæ l. 15. de public. & vedt. Argentariæ c. un. 2. F. 56. Magnif.
Dn. Herman. Vultrejus. p. m. de feud. c. 5. lib. 1. n. 7. ibiq; Consultissi-
mus Dn. Regnerus Sixtinus. p. m. laudatus. In vernacula nostra
nominantur. Gold/ Silber/ Erzgruben / AB. tit. 9. Item. Berg-
werck. Recess. Imp. August. an. 1551. §. weiter sehen ordnen. quia
in montibus plerumque reperiuntur. Christoph. Besold.
thes. pract. vers. bergwerck. Anton. Perez. ad tit. C. de metall. nu. 7.
Appellantur & in Jure Saxon. Schätze Constit. Augusti Elect. Sax.
53. p. 2. Cognito sic Metalli vocabulo, cognoscuntur simul ejus
paronyma, Metallicum, Metallarii &c. Quibus annectendi es-
sent termini isti metallicorum technologici, ne prius determina-
re, quàm eos cognovisse videamur. Ludov. Sanchez. à Melo. de
induc. deb. q. 1. n. 4. præsertim cum plerumq; sint obscuri, nec cui-
vis obvii. v. g. quid sit eine fundgrube/zeche/Schacht/Stollen/guckst/
massen/einschlagen/Lochsteinen &c. Sed brevitatis ergò nos referi-
mus ad Joh. Jacob. Speidel. not. jur. histor. polit. verb. Bergwerck.

I I I.

Ut autem sciamus, quid sit, de quo disputamus, descriptio
ejus necessaria erit. Nicol. de Passer. à Janua. de enunciat. verb. l. 1.
q. 1. n. 1. ubi quidem cauti esse debemus Simon. Vaz. Barbosa. in
princ. jur. lit. d. §. 9. sed tamen non superstitiosi aut morosi Fran-
cisc. Duarenus. c. 2. de probat. Tentemus ergo hanc proferre.

Jus Metallicum est jus disponens de rebus metallicis.

Hujus resolutio & veritas ex intrâ dicendis satis elucelcet, nec ei
hîc immorari necesse est. Posuimus autem loco generis, quod sit
jus, non addita certâ specie. Quæri ergo potest? ad quodnam
jus, an ad publicum, an ad privatû referendû sit? Quod ad publi-
cum, facit, t. t. C. de metallar. & metall. ut & l. 17. §. 1. de V. S. A. B.

562

l. 9. c. un. 2. F. 56. quod ad privatum, testantur leges ff. & C. quæ de dominio privatorum & commodo agunt. Nos si licet mentem exprimere, dicimus principaliter pertinere ad jus privatum: per consequentiam verò & accessoriè ad Jus publicum: aut si hoc minùs arridet, distinguimus inter objectum, quod sub tale jus cadit, & quo ab aliis secernitur, ut pro ejus varietate modò censeatur juris publici, modò privati. *Distingui potest* 1. in jus commune seu universale & particulare: Commune consistit in decisionibus Jctorum in ff. & constitutionibus Imperatorum in Cod. Jur. feud. & Aurea Bullâ, Recessibusq; Imperii: Particulare seu Provinciale, quod in qualibet provincia ad ejus tantum utilitatem constitutum est. 2. in scriptum vel non scriptum seu consuetudinem, quæ si alibi unquam, certè hic probè observanda. *l. 2. C. de metall. l. 13. §. 1. comm. præd. Aur. Bulla tit. 9.* *Causæ* autem hujus Juris externæ sunt eadem, quæ & Juris Civilis, Internæ verò ex jam dicendis apparebunt.

I V.

Personæ quæ hoc Jure tenentur vel quæ Jus aliquod circa rem metallicam habent, sunt vel Principales vel accessoriæ, *Principales* sunt vel superiores, vel inferiores seu privatae. *Superiores* hic sunt eæ, quæ jus fisci seu Regale in fodinis habent, utpote. 1. *Imperatores* *c. un. 2. F. 56. & t. t. C. de metall.* qui per totum Imperium illud sibi soli vendicabant, sive in subditorum, sive in propriis Electorum & Principum locis erant fodinæ, adeò ut & ipsi Electores eis decimas penderent, *Petr. Osterman. in Epitom. ad AB. tit. 9.* Ex qua causa quoq; Albertus Imper. à Wenceslao Rege Bohemiæ decimas argenti tam constanter petiit, ut Rege istas solvere detrectante sub antiquæ libertatis prætextu, ad arma venirent, uti referunt ex *Johan. Dubrav. hist. Bohem. l. 18. Dn. Carpzov. ad L. Reg. cap. 5. sect. 5. n. 27. & Gerlac. Buxtorff. ad AB. rh. 89. lit. C.* qui inde forte ansam *tit. 9. in AB.* datam fuisse conjicit. 2. *Electores* privilegii instar hoc consecuti sunt, ut universis in principatibus suis repertas fodinas tenere justè possint & legitime possidere cum omnibus juribus, nullo prorsus excepto, *d. t. 9.*

AB. ita ut nullam inde decimam amplius præstent, sed omne jus quod Imperatori in iis competebat, habeant. *Henning. Göden. cons. 3. de aur. & arg. fod. n. 9. Matth. Wesemb. cons. 45. n. 25. part. 1. Dn. Regner. Sixtin. de regal. l. 1. cap. 5. n. 8. & l. 2. c. 16. n. 80. ibiq; plures Dd. allegati; Itemq; ut decimas ipsi percipere queant ex fodinis in fundis subditorum inventis. Martin. Rumelin. ad AB. part. 1. dissert. 8. th. 9. Buxtorff. d. l. lit. e. ubi plures Dd. 3. Principes quoq; cæteri; Status Imperii temporis progressu hoc regale vel ex peculiari concessione & investitura, vel ex immemoriali præscriptione acquisiverunt. Magn. Dn. Cancell. Justus Sinold. d. Schuß in Coll. publ. de stat. Rei Rom. disp. 6. th. 19. lit. H. in pr. idq; præsupponi in Rec. Imp. de an. 1551. §. weiter so sehen wir. tradit cum eo Buxtorff. d. l. lit. d. Imò & 4. Alios, si specialiter de illo investiti aut præscriptione acquisiverint, tale jus habere refert. Dn. Sixtin. d. t. l. 2. c. 16. n. 84. & 89. An autem Vasallus decimam fisco præstandam habeat, si sit investitus cum omnibus feudi utilitatibus & juribus, aut cum mero & mixto Imperio, aut cum ipsis metalli fodinis, vid. post alios sæpè laudatum Dn. Sixtin. d. l. n. 81. & Rasenthal de feud. c. 5. concl. 91.*

V.

Privatas seu inferiores personas nominamus eas, quarum in Patrimonio & proprietate sunt fodinæ ipsæ, prædictumq; fisco debitum canonem solveretentur juxta l. 3. §. fin. de reb. eorum, qui sub tut. l. 13. §. 1. commun. præd. & t. c. de metall. Atq; tales dicuntur Metallarij id est efflores mineralium. *Ampliff. Dn. D. Joann. Brunneman. ad l. 1. C. de metall.* Suntq; vel voluntate tales, vel conditione. Illi sunt qui sponte sua hoc vitæ genere eligunt; hi qui in ea conditione nati sunt, *Brunneman. d. l.* huic verò vitæ generi sese subtrahere non poterant l. fin. C. d. t. etiam si 1. privatis censibus suum nomen indixerint, vel 2. in domo principis sint, 3. sine ulla temporis præscriptione d. l. Possent hic plures quæstiones moveri v. g. annon præscriptio 40. annorum locum habeat, an l. fin. C. h. t. etiam ad voluntarios sit extendenda, an in metallum damnati sint metallarij & ad eorum collegium pertineant? & aliæ, sed cum hæc omnia hodie non amplius sint in.

163

in usu Dn. D. Branneman. ad l. fin. C. h. t. Gothofr. ad l. 17. de ven.
Georg. Andr. Majer disp. de jurisd. sect. 1. m. 3 pos. 2. lit. C. eas mittim⁹.
Vide Ioan. Guid. de mineral. t. 1. n. 20. gloss. Cujac. & Gothofr. Brunnem.
Peretz. ad d. l. Quamvis & hodiè plerisq; in fodinis & ipsi metal-
larii absq; pœna amissionis non desistere possint, ne publica uti-
litas minuatur, ut constat ex ordinat. metall. passim. Hâc refer-
ri possunt & illi, qui metalla effossa in lucidam certamve formâ
redigunt, qui pleriq; enumerantur à Tarrunteno Paterno in l. fin. ff.
de jur. immunitat. & l. 1. C. de excusat. artific. vid. latè Maximil. Faust
ab Aschaffenburg Cons. pro arar. class. 16. cons. 97. ord. 1182. & seqq.
pluribus.

V I.

Accessorie sunt, quæ rebus metallicis adhibentur, ut eò ju-
stius & facilius utilitas publica & privata promoveri possit, qua-
les sunt Consiliarii, & Assessores judiciorum metallicorum, item
Comites, Procuratores & Magistri Metallorum, præsides fodi-
narum, jurati, præfecti rationibus & alii, ut & ii metallici seu
ministri qui metallis fodiendis inserviunt, de quibus omnibus
vid. Ord. Metall. Nec enim in jure nostro Eorum fit mentio, præ-
ter Comites & procuratores, Hi ex Civitatum curialibus crea-
bantur, l. 4. C. de Metall. quibus comes iste imperabat. Cujac. ad
l. 1. C. d. t. Comes verò erat sub Comite sacrarum largitionum.
vid. Guid. Pancirol. in not. Imp. Orient. cap. 74. ad quem etiam
Comitem S. L. leges 2. 5. & 7. C. d. t. scriptæ sunt.

V I I.

Objectum sunt res metallicæ in genere quatenus de earum
Jure quæritur, in specie autem & quidem principaliter metalla-
eorumq; fodinæ, quibus cohæret jus regale sive Fisci, quod superi-
ori competit: Deinde ea quæ ad fodinas exercendas pertinent,
quæ non incommodè tripliciter ex *Accursio* ad l. 3. C. h. t. consi-
derari possunt, & quidem 1. prout venæ quæruntur & jus aliquod
circa illas acquirere possumus; quò pertinent omnia jura, quæ
circa fodinas prætendi possunt, vel etiam ipsas necessariò sequū-
tur, ut jura cuniculorum, puteorum, terminorum, aquarum, pri-
vilegia &c. 2. quatenus metalla ipso actu effodiuntur uti sunt
ipsæ

ipsæ massæ metallorum seu proventus, expensæ in conservandis
fodinis, mercedes ministrorum, distributio metallorum inter
consortes, exactio & præstatio decimæ, venditio metallorū &c.
3. quatenus metalla in lucidam materiam rediguntur, ut sunt
purgatio, eorumque excoctio in fornacibus, & quando & quo-
modo metallariis jus illud competat, quomodo deinde in certā
formam, ut usui publico & privato esse possint, artificiosè redi-
guntur, uti est jus monetarum, armorū, Jus chalybē conficiendi,
& omnia, quæ ex metallis fieri possunt.

V I I I.

Forma consistit in Jure constituto circa res metallicas.
Effectus verò coincidit cum suo genere, nec minus quoq; *Con-*
traria. Quamvis enim plerumq; pacta privatorum adsint, vel
etiam consuetudines speciales, attamen exinde hoc jus commu-
ne non tollitur, sed ubi tales sunt, potius limitatur & restringitur
ut in illo casu jus ordinarium locum non inveniat *l. 27. l. 45. §. 1.*
l. 80. ff. de R. 7. Uti enim aliàs, ita & in metallicis controversiis
hic ordo observari debet, ut primum ante omnia attendatur, quid
actum sit, vel quid pactum sibi velit: si verò id non appareat, id
quod verisimilius & rationi magis conveniens, ut absurdum evi-
retur, text. express. *Javoleni in l. 77. de contr. emt.* Si nec hoc, tunc
id, quod communiter ea in regione observari solet, sequimur *l. 13.*
§. 1. commun. prad. ibiq; Baldus l. 2. C. de metall. si nec de propria
consuetudine aut statuto constat, jus commune observamus *d. l.*
13. §. 1. com. prad. Henning. Gæden. conf. 4. de argentifod. n. 3. Lu-
dov. Sanchez. à Melo de induc. debitor. quest. 4. n. 26. Quomodo
v. judex se gerere debeat? Si jus comūne deficiat, an non ad exterās
particulares constitutiones metallicas ipsi recurrendū sit, venti-
lari hīc possit, sed cum quæstionem illam nullibi tractatam inve-
niam⁹ sitq; res altioris indaginis, eam jam intactam relinquimus,
quamvis forsan illum non male facturum arbitremur, si illas cō-
sulat, perinde ut exteri jus nostrum civile, vid. post alios *Ampliss.*
Dn. D. Johann. Otto Tabor. de presid. debit. p. 4. art. ult. §. 3. & seq.
idq; eò magis, quod sæpè non tantūm fiat, ut ab uno judicio me-
tallico ad aliud, ab una provincia ad aliam modò consilii modò
deci-

564

decisionis causa controversiæ mittantur, sed & una quandoq; constitit metall. ex alijs sit desumpta. Cum igitur ex his generalibus satis pateat, quàm latè sese hæc materia extendat, quotque paginas imò tractatus requirat: Nos ex ijs principale obiectum, Fodinas ipsas tantùm jam tractandas eligimus, quat. scilicet acquirantur, quæq; onera & commoda exinde proveniant, cæteris non nisi sparsim datâ occasione injectis; Et secuti quidè *Johann. Ferrarium Montanum in not. ad pr. §. de offic. jud. quem allegat & sequitur quoq; Dn. Tabor. in d. tr. part. 1. in pr.* Circa fodinas primum videamus, quid jure communi sit de ijs constitutum, & à Dd. sparsim traditum. Deinde vero quid in hac vel illa provincia ex consuetudine aut statutis observetur. Sit itaq;

MEMBRUM II.

De Fodinis ex Jure Communi.

SECTIO I.

de differentijs & generibus Fodinarum.

POSIT IX.

Fodinae sunt loca subterranea, è quibus effodiuntur metalla. *Johann. Calvin. in Lex. Jur. verb. fodina.* Metallum verò est genus mixtorum non viventium, quod è terra effoditur, ut definitur à *Besoldo in thes. pract. verb. metall.* quam definitionem examinare, jam nec libet, nec licet, ne falcem in alienam messem mittamus. *Simon Vaz Barbosa in princ. & Loc. comun. lit. F. §. 32.* cum Jcti potius rem, qualis sit in jure, considerent. *Dn. Vultesius ad princ. inst. de rer. divis. n. 14. Nobilissimus & consultiss. Dn. D. Wilhelmus Ludovell. disputat. 4. thes. 1. lit. (a.)* sufficiat igitur novisse quod metalla in jure sint quæcunq; mineralia, ut *supradict.* Uti autè jus rerum in genere consistit in differentia, dominio, & obligatione. *Dn. D. Wilh. Ludov. d. l. ita & in specie jus fodinarum.* Differentia, ut ad primum veniam⁹ ex divisione patet. Dividuntur a fodina à Dd. 1. ratione metallorum, quæ ex ijs effodiuntur: sunt autè genera eorum multa & varia

B

varia

varia l. 8. §. 4. ff. de pœn. Quidam statuunt esse septem, secundum septem Planetas, vid. Joann. Guid. d. l. 1. 4. n. 5. & Besoldus th. pr. v. metall. sed ista non sufficere patet ex l. 13. §. 5. ff. de usufr. & alijs, & ex AB. tit. 9. hinc nec recte Planetis æquiparari dicit Petr. Heig. 1. quæst. 13. n. 5. & seqq. Alij dicunt esse duodena genera, & inter hæc octo perfecta & reliqua imperfecta, quos refert Dn. Sixtinus d. l. n. 6. sed & sic omittuntur quædam, veluti cotoriæ, & aliæ. Latiorum profert divisionem Gedd. ad l. 17. n. 10. & seq. de V. S. Constat tamen adhuc plures esse, ut sunt lapidici- næ, creti-areni fodinæ. 2. Ratione locorum & provinciarum arg. l. 8. §. 4. ff. de pœn. secerni possunt imò & debent arg. l. 2. & 5. C. de metall. quas provincias ex jure collectas referunt Gothofr. ad d. l. 8. §. 4. de pœn. lit. (h.) & Dn. Sixtin. d. l. n. 17. & seq. Nos relinquendo alijs cum certi numeri determinationem, tum lo- corum, qui apud nos vel externos fodinis sunt celebres, enumera- tionem, recensebimus paucis ea metalla, quorum fit mentio in jure & apud Dd. & deinde quasdam divisiones in jure necessarias.

X.

Ex metallis *Aurum* primum obtinere locum, nemo inficias ibit, quò respicit quoq; Gelasius Papa in c. duo sunt. 10. dist. 96. ubi seipsum comparat auro, Anastasium Imp. plumbo. Huius a. mentio fit varijs in locis l. 13. §. 5. de usufr. l. 1. & 5. C. de metall. l. 1. quod cui. univers. l. 7. §. 14. ff. solut. matrim. Eiusq; species sunt diversæ, sic est aurum obryzum l. fin. C. de veter. numism. pot. l. un. C. de oblat. vor. factum, infectum, & signatū l. 19. l. 27. ff. de aur. arg. legat. Coronarium. l. un. C. de aur. Coronar. Lælius Man- cinus de tripl. jur. coll. l. 2. cap. 204. Publicum rubr. C. d. aur. publ. persecutor. Iustrale. rubr. C. de navicul. ibiq; Gothofr. minoris ma- joris & medij characteris seu ponderis. Novell. 105. c. 2. §. 1. coctū l. 1. C. Th. de aur. ponder. comparatitiū. l. 3. C. Th. de mil. vest. glebale l. 2. C. de prator. & honor. prat. ibiq; Dd. oblatitiū l. 5. l. 2. l. 6. C. Th. largitionale l. 13. C. de susc. prepos. Post aurū pretiosissimū est Ar- gentum d. N. 105. c. 2. §. 1. de quo itidem passim in legib. supra dict. estq; etiam vel factum vel infectum vel signatum l. 19. pr. & §. 11. l. 27. §. 4. & fin. ff. d. t. de aur. arg. (b) item pusulatum l. 31. locat.

an

565

an autem rectius dicatur *pusillatum* aut *postulatum* an *pusilla-*
tum vel *pastillatum* controvertunt *Dd. vid. Gothofr. ad d. l. Cujac*
7. obs. 39. Ab argento diversa materia est *As l. 12. §. 1. ff. de A. R.*
D. uti & ab auro l. 5. §. 1. de rei vind. l. 38. §. 2. de aur. arg. leg. l. 9.
§. 2. l. 14. de contrah. emtione l. 20. pr. de furt. & à reliquis metal-
is l. 13. §. 5. de usufr. Job. Calvinus Lex. jur. verb. as. unde as Co-
rinthium l. 100. §. 3. ff. de legat. 3. ibiq; Gothofr. dicitur etiam cuprū
A. B. tit. 9. 4. venit Stannum de quo in l. 9. §. 2. ad L. Cornol. de
falsis, ibiq; Gothofr. Cujac. 11. obs. 1. A. B. t. 9. 5. Ferrum l. 13. §. 5.
de usufr. l. 11. pr. de public. & vect. estq; vel factum vel infectum
l. 2. qua rer. export. non deb. Sic meminit Ferri Indici Marcianus
in l. 16. §. 7. de publ. & vect. Dicitur quoq; venerabilis & quæ fa-
cilè deducitur ignibus seu liquefcit ferri materies in l. 1. ibiq; Cujac.
& Gothofr. C. de fabricens. hujus nucleus & acies est Chalybs, cu-
jus etiam fit mentio in A. B. t. 9. Gædda. ad l. 17. n. 10 de V. S. Rauch-
bar. quast. 22. 6. Plumbum de quo in l. 5. §. 1. ff. de rei vind. l. 242.
§. 2. de V. S. l. 27. pr. ff. de A. R. D. l. 9. §. 2. de contrah. emtione. l. 19.
§. 3. de aur. arg. leg. l. un. C. de his qui potent. nom. titul. & c. 7. Electrū
§. si duorum l. de R. D. l. 4. pr. de leg. 1. l. 7. §. 8. de A. R. D. l. 32. §. 5.
de aur. arg. leg. ubi Gothofr. ex Phycis refert tria ejus genera. 8.
Aurichalcum l. 45. de contr. empr. l. 4. de legat. 1. vid. Joann. Ro-
bèrtum animadvers. l. 1. cap. 4. & Ant. Mercator. in not. ad animad-
vers. & Gothofr. qui ex iis refert quid olim fuerit, hodiè scimus
esse metallum factitium ex aliis metallis compositum, & quidem
ex ære & terrâ illa metallari, Galney Maximil. Saust ab Aschaffen-
burg. Cons. pro arar. class. 16. consil. 73.

X.

His annectenda sunt quæ à Phycis media mineralia nomi-
nantur, ut sunt. 1. *Salina* vid. l. 32. §. 2. & 3. de usufruct. leg. l. 4.
§. 7. de censib. l. 8. §. 8. ff. de pœnis & alibi. Sal autem est vel factitius seu
coct^o ex aqua salsa, de quo *God. cons. de salinis 6. lib. 1.* vel fossilis qui
è montib^o ferro cæditur, non aliter ac lapis, tantæ alicubi duritiæ
ut muros domosq; massis salis faciant, *Gothofr. ad l. 7. §. 13. lit. d.*
ff. solut. matr. Effoditur autem diversis in locis in Ungaria. *Heig.*

B 2^c

1. 9.

1. q. 14. n. 13. Transylvania & Polonia, ex quo majorem partem
 redditum Regem percipere refert ex Kekermanni system. polic.
 Dn. Regn. Sixtin. d. tr. l. 2. cap. 19. num. 1. 2. Salpetra sive Nitrum
 Bruuneman. ad l. 6. C. de metall. Heig. part. 1. q. 13. n. 40. & alii. 3.
 Alumen sive Stypteria l. 3. §. fin. de reb. eor. qui sub tut. ibiq; Go-
 thofr. 4. Sulphur. l. 13. §. 5. de usufr. l. 8 §. 10. de poen. l. 52. §. 8. ibiq;
 Gothofr. ff. de furt. 5. Bitumen Gædd. ad l. 17. de V. S. n. 12.
 Quo pertinent & lapides bituminosi vel carbones fossiles. No-
 biliss. Dn. D. Johann. Helvic. Sinold. dict. Schuß in tr. feud. cap. 6.
 §. argentaria. 6. Vitriolum Dd. passim. 7. Calx, de qua in §. 2.
 l. de servitut. l. 1. §. 1. l. 5. §. 1. l. seq §. 1. ff. de serv. P. R. 8. Creta
 de qua in l. 57. ff. de furt. l. 5. ff. de S. P. R. l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. de usufr.
 l. 77. de V. S. l. 13. de publ. & vect. l. 3. §. fin. de reb. eor. qui sub tut. l.
 7. §. 14. solut. matr. atq; invenitur in Russia alba, quæ ad nos ve-
 hitur & quidem in provincia dicta Clemen vel Chelm. Munster.
 Cosmogr. l. 4. c. 70. Ejus autem genera multa refert Ioh. Calvin. in
 Lex. jur. verb. creta fodina, inter quæ est terra figularis de qua
 in l. 6. pr. ibiq; Gothofr. ff. de S. P. R. 9. Arena seu arenifodina
 l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. de usufr. l. 7. §. 14. ff. solut. matrim. quò pertinet &
 terra Lemnia seu sigillata, quæ hodiè in Silesia effoditur. Et
 Minium de quo Dd. passim. Sic quoq; Picaria è quibus effo-
 ditur pix l. 17. §. 1. de V. S. ibiq; Gothofr. vide tamen Gæddæum ib.
 Vitrum quoq; inter metalla refert Heig. 1. quæst. 13. n. 10. Sed
 quomodo non explicat, Vid. hanc quæst. olim tractatam post. Ac-
 cursum & Ioh. Andream apud Guidium d. l. n. 40.

X I I

Lapidés quoq; seu Lapidicina inter metalla referuntur
 l. 9. §. 2. l. 13. §. 5. de usufr. l. 3. §. fin. de reb. eorum. qui sub. l. 7. §. 13.
 & seq. solut. matr. l. 77. de contrak. emtione l. 32. de jure dot. dicun-
 tur item saxa, l. 6. C. de metall. l. 34. de dolo l. 6. ff. de donat. l. 25.
 §. 1. de poenis. Unde Saxorum vena in l. 3. C. d. t. quorū species est
 marmor d. l. 6. C. de metall. l. fin. §. fin. qui pot. in pign. quod tamen
 non dividitur in factum & infectum, uti argentū arg. l. 78. §. 4. ff. de
 legat.

legat. 3. l. 19. pr. ff. de auro, arg. leg. Dn. D. Ludov. ad §. cum ex aliena
 25. §. de R. D. verb. vas conflatum. Unde Lapidicina marmoreæ
 d. l. 7. §. 13. solut. matr. l. final. de fund. dot. Huc pertinent Co-
 res ferro subigendo seu acuendo necessariae l. 11. pr. ff. de publ. &
 vect. unde cotoriæ in l. 15. ff. d. t. ibiq; Gothofr. de quibus olim Ber-
 gami magnæ controversiæ fuere & de iis aliquoties consuluit Paul
 de Castro cons. 23. p. 2. & passim. An autem lapidum nomine ve-
 niant quoq; Lapilli seu Lapidēs pretiosi quæritur? Negathoc
 Bartol. ad l. fin. §. species. ff. de publ. & vect. Sed præterquam quod
 huic opinioni ipsa d. §. obstat & can. 45. de poenitentia. dist. 22. con-
 stat tamen istos non minus esse mineralia ac alia metalla & è terra
 effodi: Proindeq; idem quoq; jus circa istos statuendum erit Heig.
 p. 1. q. 13. n. 9. Besold. thes. præct. verb. Silberkauff. Perez. ad C. h. t. n. 20.
 Cum autem pleriq; sint relati d. l. & in l. 19. §. 17. de aur. arg. leg.
 ibiq; Gothofr. ut & differentiæ inter lapillos, gemmas, & margari-
 tas, nolumus istis diu inhære, sed recensitis his plerisq; metallis
 reliqua quæ non expressa sunt, annectimus verbis legumlatorū: &
 alterius cujuscunq; generis metalla. l. 7. §. 14. solut. matr. l. 3. §. fin. de
 reb. eor. qui sub tut. & AB. tit. 9.

X I I I.

Nunc quomodo hæc metalla conjuncta in genere distin-
 guantur, ut diversum jus inducant, dicendū: sunt a. i. vel latentia
 seu nondum inventa, vel detecta & jam inventa, Inventa sunt 2.
 vel stantia vel separata, illa, quæ adhuc terræ adhærent & pro par-
 te fundi seu terræ habentur l. 19. pr. comm. divid. l. penult. ff. pro soc.
 atq; sic immobilia sunt, perinde ac fodinæ ipsæ & partes metallicæ:
 hæc autem quæ à solo & terra cæsa & separata, & mobilia sunt,
 Dn. D. Ludov. in exercit. ad Instit. 5. th. 1. lit. c. 3. Separata sunt
 vel cæsa tantum vel exportata quoq; l. 7. §. 13. solut. matr. l. fin. de
 fund. dotal. 4. dividuntur in percepta & percipienda. §. extan-
 tia & consumta, Carpz. l. F. p. 3. c. 25. d. 2. 3. & 4. 6. sunt vel no-
 biliora vel ignobiliora, aut pretiosiora, rariora, vel viliora de
 quibus Dd. passim. 7. vel separabilia, ita ut deduci possint vel nō
 l. 5. §. 1. ff. de rei vindic. vid. tamen ibid. Gothofr. 8. vel reducibi-
 lia in sua initia vel non, l. 78. §. 4. de legat. 3. 9. vel renascen-

B 3

tia



cia vel non renascentia; illa habentur inter fructus, hæc nō juxta
l. 7. §. 13. ff. solut. matrim. Sed an ubiq; hæc renascentur, alii judi-
cent, scimus tamen ex d. l. in jure nostro indistinctè auri arg. fer-
ri & alterius cujuscunq; metalli fodinas inter fructus recenseri,
& solas lapidicinas eas, quæ non renascentur, excludi. Unde &
Berlichius. part. 3. concl. 35. n. 16. & alii Dd. statuunt & in Saxonia ita
distinguendum esse, quod tamen frustraneum dicit Carpz. d. def. 3.
n. 7. & seqq. 10. Fodinæ distinguuntur quoq; in partes suas, in-
cuniculos, specus, caput fodinarum seu dimensionum, ostium,
cuniculi, pendens, jacens &c. quæ tamen omnia ex ordinat. met.
& experienciâ discenda.

SECTIO II.

De Jure circa Fodinas.

POSIT. XIV.

Jus aliquod circa eas variè acquirimus, præcipuè autem sunt
1. *Jure Domini* Eorum quorum est fundus. Sed an etiam anteq;
metalla sint inventa? Negat hoc Paul. de Castro *cons. 4. part. 2. n.*
in fin. Cons. 3. p. 2. n. 4. cons. 23. n. 1. ducto argumento à thesauro,
l. 31. §. 1. ff. de A. R. D. Sed rectius affirmatur, idq; Dd. probant cō-
muniter ex generalibus hisce 1. quod sint fructus, juxta l. 7. §. 13.
& 14. ff. solut. matr. l. 9. §. 2. & 3. de usufr. 2. Pars fundi & domi-
nii arg. l. 44. de R. V. eiq; cohæreant arg. l. 11. pr. ff. quod vi aut clā.
Perez ad Cod. h. t. n. 5. imo 3. & ipsa generari ex materia & terra
fundi ex Physicis constat, hinc & ipsa Domino fundi meritò ad-
judicantur, & sicut 4. prædia supra terram libera sunt domino
usq; ad coelum; ita & libera debent esse usq; ad profundum *laco-*
bin. de S. Georg. verb. cum argentifod. n. 1. Buxtorff. ad A. B. th. 89.
lit. e. & alii. His annectimus. l. 19. *comm. divid. l. 83. ff. pro socio. l.*
9. §. 3. de usufr. in quibus affirmativa non obscure confirmatur.
Competente sic dominio dominis fundi in metalla adhuc ignota,
multò magis jam inventa ab illis eorum erunt.

XV.

Hinc ista attribuuntur 1. Domino agri in l. 13. §. 1. ff. *comm.*
prad.

præd. 2. pupillo in l. 3. §. fin. & seq. de reb. eor. qui sub tut.
 3. marito l. 8. ff. solut. matrim. l. 7. §. 13. ff. d. t. & l. fin. de fund.
 dotal. 4. Emptori l. 16. ff. de præsc. verb. l. 77. ff. de contrah. emptio.
 5. Universitati in fundis ipsius Dn. D. Ludov. disput. 4. thes. 2. lit. d.
 6. Ecclesiæ quoq; adjudicat metalla in fundo Ecclesiastico in vco
 ta post. Feder. de Senis. & Domin. de S. Geminian. Ioan. Guidius d. tr.
 t. 1. n. 14. t. 4. n. 59. 7. Principi & Fisco ea quæ in locis publicis
 inveniuntur. Egidius Bossius in tit. de metall. & argentifod. nu. 12.
 Henning. Göden. conf. 1. de arg. fod. n. 9. & Dd. comm. Sed an jure cō-
 muni, an verò jure Regalium? Prius affirmant Jacob de Alvarottis
 add. c. un. F. 56. n. 6. & Præpositus ibid. quos sequitur Rosenth. d. l.
 cl. 88. gloss. e. Carpzov. de Regal. th. 60. Nos posterius affirmamus
 cum Dd. comm. quos allegat & sequitur Dn. Sixtin. d. l. nu. 32.
 Dn. Canc. Schuß d. l. disp. 6. th. 19. lit. h. Reusner. disp. 4. feud. th. 81.
 in fin. Distinguendo tamen cum Dn. Sixtino ibi inter patrimo-
 nium Principis privatum, & inter bona principatus Imperii &
 fisci; ibi inventa metalla jure communi, hic verò jure Regalium
 ejus sunt. Vid. quoq; Egidius Bossius d. l. n. 14.

XVI

Sicuti autem metalla Jure Domini sunt dominorum fundi;
 ita & eorum qui quasi, vel ut Dd. loqui amant, utile dominium
 habent, ut sunt. 1. Vasalli qui si fodinæ in fundo feudali inveni-
 untur, omne, quod post solutam decimam fisco debitam residuum
 est, sibi reservant: Extraneo autem inventore, decimam domino
 fundi competentem retinent, per c. un. §. rei autem 2. F. 8. c. un. §.
 si quis. 1. F. 4. Paul. de Castro latè consil. 354. part. 1. per tot. ex q; eo
 Henning. Göden. conf. 2. de argentifod. n. 4. & seqq. Quod adeò verū
 putant Ifernica & Afflictus ad c. un. 2. F. 56. ut etiamsi dominus feu-
 di sibi reservet metalli fodinas, nihilominus Vasallo decima hæc,
 quæ domino fundi aliàs debetur, competat. Videatur Henric. à Ro-
 senth. de feud. concl. 91. per tot. ubi hos & alios plures allegat. 2. Em-
 phyteuta Ioann. Guidius d. l. tit. 4. n. 61. Egid. Bossius d. l. n. 11. Ce-
 sar Ursillus in annot. ad Matth. de afflict. decis. 321. n. 3.

XVII

Secundus Principalis acquirendi modus est *inventio vena
 metallica*, ubi ante omnia resolvenda est illa quæstio, An in ge-
 nere

nere metalla quærere & fodere liceat? Quasdam gentes hoc ne-
 gasse deprehendimus. Sed rectius affirmamus 1. ob universale
 dominium generi humano à DEO concessum *Lolius Mancinus*
de tripl. jur. collat. lib. 1. cap. 2. n. 1. & 2. ubi simul Theodoretum,
 cete grandia excipientem refutando allegat, & in specie quoad
 metalla sunt loca SS. Scriptur. *Dent. 8. 9. Hiob. 22. 24. 25. Ezech.*
16. 17. & alibi. 2. quia omnia sunt creata ad usum hominis. §. *in*
pecudum. 37. I. de R. D. l. 28. de usur. Hinc quoq; 3. jure terra
 hominibus debet, quod in se continet. *Anton. Perez. int. C. de me-*
tall. n. 19. Unde scitè Athalaricus Rex apud *Calliodorum Variar.*
lect. l. 9 c. 3. aurum quærere per bella nefas est, per mare periculum,
 per falsitates opprobrium: sed in sua natura justitia est. *Heig. 1. q.*
13. n. 2. Perez. d. l. Qui autem omnium primi fuerint inventores,
 variant variè Authores *vid. Polydor. Virg. de rer. invent. lib. 2. c. 19.*
 Quicunq; tamen illi fuerint, certè sapientes fuerunt. *Joh. Franc.*
Fernandez ab Heredia in gratul. ad Fr. Salgad. de Samoz. a in Laby-
rinth. concurs. Credit.

XVIII.

De objecto verò seu Locis & fundis, in quibus invenitur
 metallum, intricatissimæ à Dd. ventilantur quæstiones. Inter
 quas absq; dubio principalis erit illa, An in fundo privato alieno
 invito domino fundi fodere liceat? ad hanc variè Dd. respondēt,
 Quidam dubii esse videntur, *ut Jacobin. de S. Georg. de fend. verb.*
cum argentifod. Andr. de Isernia ad c. un. 2. F. 56. refutati ab *Ægi-*
dio Bossio, tit. de metall. n. 1. Quidam distinguunt inter merè pri-
 vatos & ad id privilegiatos, ita ut nemo in alieno quærere possit,
 nisi prius à Principe specialiter id impetraverit. *Bossius. d. l. Pere-*
grinus. de jur. fisc. lib. 4. c. 2. in fin. Quidam negant inter quos est,
Rumelin. ad A. B. p. 1. diff. 8. th. 11. qui tamen addit limitationem,
 nisi ipse dominus quærere & fodere recuset, ne publica utilitas
 intercludatur, & ita quoq; sentit *Perez d. l. n. 19.* Plurimi autem
 & Dd. Comm. affirmant. 1. ob generalitatem textuum *int. t. C. de*
metall. qui indistinctè fossionem in alieno concedere videntur,
 nec ullam Principis concessionem vel auctoritatem requirunt. 2.
 ob utilitatem publicam, In quibus autem hæc consistat, tradit plu-
 ribus *Maximil. Faust. ab Aschaffenburg in Conf. pro arar. class. 20.*
conf.

conf. 62. ord. 1586. 3. ob labores & sumtus, & ita sentiunt post al-
legatos Dd. à Rosenth. de feud. cap. 5. concl. 90. & Dn. Sixtin. d. c. 16.
n. 39. & seq. Carpzov. de reg. th. 60. Reusner. d. disp. feud. 4. th. 82.
Brunneman. ad l. 3. & 6. C. de metall. & alii. Hanc affirmativam
quidam tam veram putant, ut indistinctè fossionem in alieno es-
felicitam existiment, uti refert Perez d. l. n. 19. Verum alii &
quidem plurimi eam limitant. 1. nisi ipsi domino id libuerit.
Matth. de Afflict. decis. 321. n. 15. modò adhuc res sit integra, & in-
ventor sumtus & laborem nondum impenderit, uti hanc subli-
mitationem post alios suggerit, Reusner. d. th. 82. 2. nisi sub ædi-
bus metalla sint, l. 6. C. h. t. 3. nisi dominus inde patiatur damnũ
magnum, (non parvum) Rosenth. d. c. 5. cl. 90. quò referunt lassi-
onem superficiei Cesar. Ursillus in not. ad Afflict. d. l. n. 2. & si do-
minus impediatur arare. Rümelin. d. l. th. 15. 4. nisi non sint rara,
sed ubiq; ferè inveniuntur, Paul. de Castro Conf. 23. p. 2. 5. nisi ces-
set utilitas publica Dn. Sixtin. d. l. n. 54. Alexand. in apostill. ad Bar-
tol. in l. un. C. de thesaur. lit. a. quamvis ex his limitationibus
quædam non omni dubio carere videantur, uti quoq; Ordin. Me-
tall. nullius distinctionis aut limitationis inter dominum & ex-
traneum meminerunt.

X I X.

Cum ergò in fundo alieno fodere liceat, multò magis id in
aliis concessum erit juxta l. 21. de R. 7. Unde licet illud. 2. in pro-
prio fundo. Rümelin. d. l. th. 10. 3. Comuni, quo de pluribus
Joann. Guidius. d. t. 1. n. 29. 4. dotali, l. 7. §. 13. solut. matr. l. fin. de
fund. dotal. vid. th. 24. 5. feudali & emphyteutico vid. thes. 16.
6. Vlufructuario, th. 27. Sed an in publico fundo privatis quære-
re concessum sit? controvertunt Dd. Nos acquiescimus opinio-
ni Dn. Sixtini d. c. 16. n. 62. & seq.

X X.

Hactenus de eo casu, quando quis solus quærit metalla. Quid
verò Juris Si duo pluresve concurrant? Hic distinguendi sunt
casus: aut enim extraneus & dominus concurrunt, aut soli extra-
nei; Si extraneus & dominus tempore pares sint, meritò dominũ
illi præferimus; Si verò extraneus dominum prævenerit, fodien-
doq; sumtus & laborem sustinere cœperit, illum huic anteponim?

C

vid.



vid. post. alios. Dn. Sixtin. d. l. n. 51. & seq. & Reusner. d. d. 4. th. 82.
Unde Dd. quærunt. Si vena sic inventa & acquisita sese exten-
dat sub alterius vicini fundum, an inventor eam invito domino
persequi possit? Negativam tenebant olim plures J Cti Bergami
existentes, ut refert *Paul. de Castro Conf. 330. part. 2.* Sed rectius
affirmatur 1. per ea, quæ sunt *in th. preced. 2. per l. 3. §. 1. ff. de*
acquir. poss. ibiq, Dd. Comm. præoccupata enim & apprehensa una
parte venæ, tota vena censetur apprehensa, etiam si sub diversis
& alienis fundis sint, *Rosenthal. d. l. concl. 90. n. 8.* adeò, ut non so-
lum inventor eam persequi, sed & ipsum vicini fundi dominum,
per aliud foramen in suo prædio noviter factum ad eam perveni-
re conantem propter præoccupationem prohibere possit, *Paul. de*
Castro. Conf. 3. n. 4. Neq; dominus habet, unde se gravatum di-
cere possit *videatur optime hac declarans Rumelin. ad AB. d. d. 8. th.*
15. verb. cur initio statim & c. ibiq, Dd. alleg. Guidius d. t. 1. nu. 36.
Perez ad t. C. de metall. n. 24. & seq. ut & Göden. conf. 2. de argent.
fod. n. 20. ubi notabilem inter Dominum feudi & Vasallum con-
currentes decidit ejusmodi facti speciem. Quomodo autem pro-
bari possit, an sit una vena, vel plures, & quousq; & an in vicinum
fundum sese extendat, ex parte tradunt *Paul. de Castro conf. 141. &*
Heig. p. 1. q. 13. n. 53.

X X I.

Si verò soli extranei adsint; tunc is, qui prævenerit alios, ali-
is quoq; præferendus erit, nõ tantum *per l. 24. in fin. ff. quæ in fraud.*
cred. & alias, quibus utitur Rumelin. d. l. th. 12. aut *per c. 54. de R. f.*
in 6. ut Bocerius de regal. c. 3. n. 168. ab illo allegatus d. l. Sed & *per*
l. 21. ff. de R. f. ibiq, Dd. junct. th. preced. Quamvis forsan non ab-
surdè cum eod. Rumelino, quem & Perez sequi videtur *d. l. n. 22.*
statui possit, quandoq; id arbitrio judicis committendum esse;
Si verò æquales sint tempore; tum distinguimus: vel enim Prin-
ceps cum aliis concurrat, & tunc eum alios excludere putamus
vid. Dn. Sixtin. d. c. 16. n. 67. vel soli sunt privati; sicq; omnes, si
velint, simul admittendi, tum *per l. 1. pr. ff. quod cui univers. tum*
quia & usus hoc comprobatur *Dn. Sixtin. teste d. l.* Si verò nolint,
sed unus alteri præferri velit, quid statuendum sit, anceps est quæ-
stio? Nos judicem sorti præferendum esse statuimus *cum Dn. Six-*
tin,

569
vin. d. l. n. 68. & seq. & Rumelin. d. l. th. 13. cum hic publica utilitas
& principis interesse satis periclitentur.

XXII.

Tertius modus acquirendi est occupatio rei pro derelicto
habitæ, unde quoq; Dn. Sixtinus d. l. n. 65. post *Agid. Bossium tit.*
de metall. n. 5. & *Rosenthal. d. c. 5. conclus. 89.* statuit, si dominus
vel inventor alius postquam semel fodere cœperit, vel omninò
desinat, vel morâ etiã trahat, alios admittendos esse. Cum quo &
Ord. Metall. plerâq; conveniunt, quando fodinas per certum
temporis spacium incultas relictas aliis metallariis colendas cõ-
cedunt. Quid verò, si ob vim majorem fodinæ relinquuntur? v. g.
ob bellum, uti diversæ fodinæ hæctenus ob belli calamitates sunt
desertæ, & adhuc deseruntur, ob difficilem earum restaurationē,
Et æquius est, ut non pro derelictis habeantur, per § *fin. I. de R. D.*
& *l. 13. pr. ff. de acquir. possess. nisi forsan velis: ut & his ob utilita-*
tem publicam certum tempus præfigatur. His adjungantur duæ
istæ facti species, quibus per incrementum & alluvionem metal-
la acquirimus, decisæ à *Bartolo in tract. Tiber. part. 1. in pr. & vers.*
flumen versus. & relatæ à *Joan. Guidio. de mineral. tit. 4. n. 47. & seq.*

XXIII.

Fodinæ quoq; in dotem dari possunt *l. 8. ff. solut. matr.* Ubi
Dd. quærunt, an hic distinguendum sit inter lapides renascentes
& non renascentes, ita ut maritus istos percipiendo suos faciat,
hos autem non? Dynus affirmat, Bartolus negat, Imola eos con-
ciliare nititur, uti hos refert *Joann. Guidius t. 4. n. 66.* sed Bartoli
negativa magis convenit *d. l. 8.* & ita sentiunt post gloss. ad *d. l. fa-*
sonem & alios, Göden. Cons. 3. n. 7. & Jac. Cujac. 15. obs. 21. Unde
quoq; benè *Francisc. Duarenus ad d. l. postq; eum Reinh. Bachov. ad*
Treutl. vol. 2. disp. 20. th. 6. lit. c. verb. atq; ita marito? quamvis la-
pides non renascentes reverà in fructu non sint, fructuum tamen
naturam & conditionem quoad jus mariti imitantur, cum utiq;
ex fundo enascantur. Multò minus ergò si non lapidicinæ, sed
aliæ *verb. g. argenti-ferri* fodinæ in dotem dentur, marito com-
modum earum erit denegandum, cum hæc utiq; in fructu sint, *d. l.*
13. §. 14. ff. solut. matr.

X X I V.

Maritus etiam in fundo dotali metalla quærere potest *l. 7. §. 13. solut. matr. l. fin. ff. de fund. dotal.* siue renascantur siue non. Sed an uxor marito impensas restituere teneatur? Et hic rectè distinguimus inter metalla renascentia & non renascentia, in his non repetuntur sed compensantur cum marmore cæso *d. l. 7. §. 13. Bachov. d. l.* sed in istis non tantùm necessariæ sed & utiles præstantur *d. l. fin. pr. ff. de fund. dotal.* Quid verò, si aperta lapidicina lapis non renascatur, an fundus ille fructuosior dici possit? Papinianus in *d. l. 7. §. 13.* hoc affirmat, Javolenus autem in *d. l. fin.* negare videtur; Ad hos conciliandos variæ sunt Dd. opiniones, quas conguessit, *Nicolaus à Genoa in concil. leg. pag. m. 535.* Nos iis ad stipulamur, qui absq; textus correctione affirmativam tenent, nimirum & per lapidinas fundum fieri fructuosior, quamvis non renascantur aut in fructu sint, quod variè fieri potest: veluti si ipse ager per effossionem lapidum fit fructuosior, *Paul. de Castro, Duarenus & alii à Genoa allegati.* aut si lapidibus cæsis & dividitis plus commodi & pretii quàm ex fructibus percipitur. *Johan. Robert. lib. 1. animadvers. 23. Bachov. d. l.* neq; Javolenus Papiniano contradicit, si rectè considerentur. *Duarenus ad d. §. 13.*

X X V.

Legari quoq; fodinas posse, absq; dubio est. Unde quaeritur. 1. si quis indeterminatè alicui legaverit, licere lapidem cædere, An etiam ad hæredem illud transeat? Marcellus hoc negat, nisi nomen heredis adjectum legato fuerit *l. 39. §. 4. de leg. 1.* 2. An hoc casu legatario liceat fodere lapidem quandiu vixerit, sapius ac sapius, an verò semel tantùm? Castrensis dubitat, Arretinus autem posterius affirmat, Jason annum esse legatum statuit *arg. l. 23. de ann. legat. ut eos refert. Gothofr. ibid.* Francisc. Duarenus autem *ad d. l.* ait esse quæstionem facti & judicari ex conjecturis.

X X V I.

Servitatem insuper constitui posse in fodinis, nemo est qui nesciat *Franc. Duarenus ad l. 13. §. 1. comm. prad.* unde venit jus arenæ fodiendæ *l. 1. §. 1. ff. de S. P. R. cretæ eximendæ l. 5. §. 1. ff. eod. lapi-*

lapidis cædendi *l. 6. §. 1. ff. d. t.* Item quando vicino, cujus lapidinae fundo tuo immineant, cedis, jus ei esse terram, rudus, saxa jacere, posita habere, & ut in tuum lapides provolvantur, ibique positi habeantur indeq; exportentur *l. 3. §. 2. ff. d. t.* Atq; hoc omne eatenus quatenus prædio dominantis opus est, *d. l. 5. in fin. Dn. D. Ludov. disp. 5. th. 5. lit. f. & g.* Si enim pro arbitrio & utilitate dominantis prædii iis uti concessum sit, potius erit usufructus, veluti si lapides cretamve fodere, eaq; re quæstum facere liceat, *Wesenbec. in paratit. ff. de S. P. R. n. 4. & facit. d. l. 6. d. t.*

X X V I I.

Pluribus verò agitur in jure nostro de *Usufructu* fodinarum legato, quod legatum ita extenditur ut 1. fundo generaliter tantum legato, simul quoq; fodinae legatæ intelligantur, *l. 9. §. 2. ff. de usufr.* 2. etiam si postea sint inventæ *d. l. §. 3.* 3. ut ipse novas instituire possit *l. 13. §. 5. ff. d. t.* Limitatur autem (1.) ut his omnibus utatur tanquam bonus paterfamilias *d. l. 9. §. 2. eod.* (2.) ut exinde fundi & proprietatis causa deterior non fiat; hinc prohibetur fodere 1. si agriculturæ noceat 2. si agri partem necessariam occupet *d. l. 13. §. 5. h. t.* Quid verò si fortè plus sit redditus in vena, quàm in vineis vel arbutis aut olivetis? Et forsitan etiam hæc deicere poterit, siquidem ei permittitur meliorare proprietatem, ut respondet *Ulpianus in d. l. 13. §. 5. de usufr.* si tamen fodinae cælum agri corrumpant, aut magnum apparatus desideret quem non possit sustinere proprietarius, non videbitur viri boni arbitrato frui. *d. l. 13. §. 6. vid. Accursius, Gothofredus Alberic. de Rosate ad d. l. & Job, Guid. t. 1. n. 25.*

X X V I I I.

Pignus etiam in iis constituitur per *l. 9. §. 1. ff. de pign. & hyp. junct. l. 77. ff. de contr. emt. Carpzov. in l. F. p. 1. c. 32. d. 61. in pra-jud. Dn. Scabin. Lips. in tantum, ut & pactum antichreseos in iis licitum sit, vid. Dn. Christ. Philipp. Richter part. 2. decis. 74. n. 14. & seq.* Sed an fodinae in fundo pignoratitio à Domino inventæ sint simul obligatæ? quæritur. Quod affirmandū putamus, cum nō solum accedant pignori, Sed & sint pars ipsius fundi ut *supra th. 14.* Quibus rationibus quoq; utitur *Mercurialis Merlin. de pign.*

& *hypoth. l. 2. tit. 1. quest. 43. n. 13.* idem de thesauro affirmans, verum cum ea in thesauro locum invenire non possint, aut talis opinio est erronea, aut vocula thesauri intelligenda de metallis, uti quoq; à *Gloss. ad l. 3. C. h. t. sumi* videtur. Circa *Possessionem* nihil in jure aut apud *Dd.* in specie invenimus præter quasdam quæstiones à *Paul. de Castro. in cons. 3. 4. 23. & 140. part. 2. relatas*, sed cum ea ex jure communi & ordinario sint ibi decisæ, illis frustra hinc inhærerere nolumus.

X X I X.

Successionem seu translationem fodinarum ad hæredes quod attinet, tradunt *Dd.* quidam, eas non transire ad illos, sed mortuo inventore dominum soli jure proprio fodere posse, ut *Aegidius Bossius. in tit. de metall. n. 6. Math. de Afflict. decis. 321. n. 15. Nardus Liparulus in gloss. ad Andr. de Isernia ad c. un. 2. F. 56. n. 70. lit. s.* Verum rectius statuimus fodinas esse inventoris & ad successores transire cum *Paul. de Castro part. 2. cons. 330. vers. dic ergo. & cum Martin. Rumelin. ad AB. d. d. 8. th. 15. ubi dicit: præoccupata ab alio venâ, nullum amplius in ea jus habere videtur. dominus fundi. jam enim effecta est prioris fossoris.*

X X X.

Haftenus de jure in re, nunc aliquid de jure ad rem in obligatione consistente attingendū, quæ oritur ex contractu. *M. Aurelius Galvanus ad tit. ff. de reb. cred. cap. 13.* Non autem solum *emi & vendi* fodinas, sed & ipsi contractui pacta adjici posse, constat satis ex *l. 16. ff. de præscr. verb. & l. 77. ff. de contrah. emt.* Sed an *l. 2. C. de resc. vend.* locum hic habeat, quæritur? Quod, si commune istud axioma, læsionem sc. non attendendam esse, ubi incertus & dubi⁹ est event⁹ lucri & damni, *vid. Dn. Phil. Christ. Richter decis. 99. n. 139.* consideramus, negandum erit: mutationem enim facile imò totalem ruinam in fodinis accidere posse, metallariis satis notum est, præsertim ubi jam magna pars est effossa, eaq; fodinæ effodiendo minuantur, facit huc *Dn. D. Georg. Franzkius, lib. 1. resolut. 2. n. 97.* Ita quoq; *Locari & conducti* solent non tantum ipse canoⁿ Fisco competens, sed & fodinæ, ut in genere testatur *Gajus in l. 13. pr. & in specie de Cotoriis Creticis Alfenus Var⁹. in l. Caesar.*

Casar. 15. ff. de public. & vectig. ibiq; Gothofr. & Sulphurariis Ulpianus in l. 52. §. 8. ff. de furt.

X X X I.

Societates quoq; aut collegia de metalli fodinis non solum utilitas & necessitas exposcunt, sed & tam jus nostrum concedit l. 1. pr. ff. quod c. univers. nom. quam usus & experientia comprobant Dn. Sixtin. d. tr. lib. 2. c. 16. n. 68. Nec minus & *contractus innominatus* in iis fieri potest l. 16. ff. de praescript. verb. quem casum ad articulum do ut facias refert Johann. Strauchius in disput. digest. 17. §. 8. in fin. Donellus autem, quem ipse allegat, ad facio ut facias, quod jam in medio relinquimus.

SECTIO III.

De Effectu,

X X X I I.

Effectus acquisiti juris circa fodinas potest constitui duplex primus & ortus. Primus respicit commoda & onera Metallariorum. *Commoda* eadem sunt, quæ & aliàs in rebus aliis acquisitis nobis obveniunt, prout jus circa eas habemus. Sic dominium foderinarum tribuit 1. jus percipiendi omnes fructus & obventiones ex iis; Unde metallarius si id, quod fisco debetur, de quo *infra* præstat, cætera propriis suis desideriis vindicat. l. 3. C. h. t. & sibi commoda comparat l. 1. C. d. t. ibiq; Dd. Göden. cons. 1. de argentifod. n. 19. cum Luca de penna ad d. l. 1. C. h. t. (2.) Jus de iis pro arbitrio disponendi: potest enim fodinas locare l. 52. §. 8. ff. de furt. pignorarè, *supra* h. 28. servitutem eis imponere l. 4. §. 6. ff. de S. P. R. legare l. 9. §. 2. de usufr. donare l. 6. ff. de donat. de iis testari l. 59. §. 1. de hered. instit. vendere l. 77. de contrah. emt. & quovis modo alienare per l. 21. C. mandat. §. per traditionem. 41. l. de R. D. in dotem dare l. 8. ff. solut. matr. Hinc & tutor eas alienare potest, solennitatibus scil. requisitis adhibitis per l. 3. & seq. ff. de reb. eorum qui sub tut. ibiq; Dd. Göden. cons. 3. de aur. argentifod. n. 1. ut & quæ aliàs unicuiq; licita sunt in re, juxta jus quod circa rem habet. Huc maximè referenda sunt privilegia Metallariis compe-

ten-

tentia, quæ cum varia quidem variis in locis sint, singulari q; nota-
tatu omninò digna, ex jure tamen communi non liqueant, iis hic
superfedemus.

XXXIII.

Onera quæ metallarius præstare tenetur, sunt varii generis.
Principale est, quod Fisco seu Principi certam portionem ex me-
tallis præstare debet, quæ dicitur jure Digest. vectigal publicum, uti
huc refertur *l. 17. §. 1. ff. de V. S. à Gloss. & aliis.* Jure Codicis: Ca-
non metallicus *l. 2. C. de metall. & decimæ l. 3. C. d. t.* Jure Feudorū
verò Regale *c. unic. 2. F. 56. ibiq; Dd.* Hanc enim portionem poti-
us dici regale, ac ipsas fodinas tradunt *Dd. comm. Henric. à Ro-
senthal de feud. c. 5. concl. 88. in fin. & latè Dn. Sixtin. d. c. 16. n. 45.*
Triplicis autem Canonis meminit Jus nostrum 1. sunt *octoni
scrupuli in balluca l. 1. C. h. t.* Balluca verò secundum Accursiū
est aut utilitas publica, aut vas lucens, vel balluca, quasi bajulans
lucem *vid. Joh. Calvin. in Lex. jur. verb. Balluca.* Sed esse aurum,
rude nuper effossum & nondum purgatum tradunt *Dd. comm.
Panciroi. Cujac. Gothofr. Brunneinan. & alii ad d. l.* Scrupulus
quid sit, tradit *Gloss. ibid.* Ballucæ libra quot unciis æstimetur, de-
finitur *in l. 2. C. h. t.* cujus rei rationem addit. *Gothofr. ib. lit. y. 2.*
Septeni Scrupuli per singulos años ab aurilegulis solvendi, *l. 5. C.
d. t.* Quod alios metallarios attinet, addunt hic *Gödd. conf. 2. n. 26. &
Joan. Guid. tit. 1. n. 16. post. Bartol. ad l. 1. C. h. t.* eos annuatim tene-
ri ad unam libram 14. unc. *per d. l. 2.* sed cum *in d. l. 2.* nil de ca-
none tali sed de libra Ballucæ agatur *Cujac. & Brunnem. ib.* exinde
hoc probari non poterit. 3. *est decima l. 3. C. h. t.* scil. metalli ef-
fossi, nec enim si quis plumbum fodiat, dabit in argento *Accurs.
ib. & Dd. comm.*

XXXIV.

Uti autem aliàs, ita & hic propria cujusvis regionis consue-
tudo retinenda est, *d. l. 2. C. h. t.* *Decimam* autem & hodiè in Ger-
mania Fisco deberi tradunt *Dd. comm.* quos allegat *Dn. Sixtin. d.
c. 16. n. 45. Johann. Gædd. ad l. 17. n. 9. de V. S.* Cujus ratione plu-
rimæ quæstiones tractari possint, veluti: cui & quo jure huic vel
illi competat jus istud decimarum, quando & quomodo sint præ
præ

præstandæ, an statim metallis cæsis, an exportari possint ante
d enunciationem fisco factam, an in solutione decimarum fiat
aliqua deductio impensarum. Item de præscriptione earum, de
remediis, tum de jure circa decimas tum de ipsis decimis compa-
patis, An & pro residuis competat actio realis contra novum
possessorem, & quàm plurimæ aliæ. Sed cum & hæ potius tracta-
tum specialem desiderent, nolimus iis hic nos implicare.

X X X V.

De objecto autem earum necessum est quærere, an ex o-
mnibus metalli generibus metallarii decimam præstare tenean-
tur, vel an omnia metalla pertineant ad Regalia? Quidam hoc
negant sed diversis modis: Nonnulli eas fodinas, quæ in loco
Cæsaris aut Filci reperiuntur, ad Regalia tantum referunt, ut *Ia-
cobin. de S. Georg. de feud. §. cum argentifod. n. 2. ex Floriano de S.
Petro ad l. 13. §. 5. de usufr. allegari à Dn. Carpzov. de regal. thes. 60.
Wesenbec. verò cons. 45. n. 24. Cons. 60. n. 30. solas auri & argenti
fodinas, reliquas v. g. cupri, ferri, &c. omnes excludit. Andreas
Rauchbar. quest. 22. n. 12. & alii miniarias, sulphurarias aliorumq;
viliorum metallorum fodinas excipiunt; Petrus Heig. verò nitrum
1. quest. 13. n. 40. Rosenthal Saxa viliora d. concl. 88. lit. d. Matth.
Wehner. Gypsum & carbones fossiles obser. pact. verb. Gyps stein
fohlen. Sed rectius in genere statuimus, omnia & cujuscunq; ge-
neris metalla ad Regalia pertinere cum Dn. Sixtin. d. l. n. 20. & seqq.
mult. Dn. Canc. Schuß de jur. publ. disp. 6. th. 19. lit. H. circa fin.
uti quoq; in specie id affirmant de ferri fodinis Andreas de Isernia
ad d. c. un. 2. F. 56. n. 70. Rauchbar. d. q. 22. de alumine Afflict. de-
cis. Neapol. 321. per tot. & Nardus Liparulus in gloss. ad Iserniam
d. l. n. 71. lit. L. de Lapidicinis & creti fodinis Bartol. ad l. 3. C. h. t.
Joann. Guidius d. tr. tit. 1. n. 19. de Cotibus Paul. de Castro Cons. 23.
part. 2. n. 2. & alibi. de vitriolo Arniseus. de jur. majest. lib. 3. cap.
5. n. 4. lit. γ. de Carbonibus fossilibus Dn. D. Helvic. Schuß de
feud. cap. 6. verb. argentaria. Tandem & ad pretiosos lapides,
gemmas & marmora, eorumq; fodinas hoc extendunt, cum et-
iam in his publica vertatur utilitas, imò & in majori quàm me-
talla, pretio habeantur, Magnatumq; præcipuæ sint delitiæ, Petr.
Heig.*

Heig. d. q. 13. n. 9. & 37. Dn. Sixtinus d. l. n. 31. ibiq; Dd. allegati. Besold. in thesaur. pract. verb. Silberkauff.

X X X V I.

Quicquid. 2. ex fodinis metallarii præter dictum canonem amplius colligunt, fisco potissimum distrahere debent l. 1. C. h. t. Ita ut hoc casu fiscus habeat jus retractus seu prælationis, aliisq; omnibus præferatur Dd. ad d. l. 1. etiam agnatis Perez. ad t. C. de metall. n. 12. hocq; ob favorem fisci Brunnem. ad d. l. 1. ut eo melius necessitatibus Reip. prospici possit. Besold. th. pr. verb. Bergewerck ex Cons. Illustr. 65. n. 25. Requiritur autem, ut competens pretium à fisco solvatur d. l. 1. & Dd. ibid. 3. Metallarii in fundo alieno fodientes insuper quoq; domino fundi decimam dare tenentur l. 3. C. h. t. ibiq; Dd. sed tantum ut pretium quoddam Joh. Angel. Pisanellus ad Afflict. decis. 321. aut interesse pro quaqua læsione fundi Göd. Cons. 1. de aur. arg. fod. n. 10. Verum an consuetudine introduci possit, ut non refuso pretio liceat in fundo alieno metalla fodere? Quod rectè negatur cum Afflicto decis. 321. n. 16. & Alberic. de Rosat. in l. 13. §. si constet. ff. comm. prad. quos allegat & sequitur Mart. Rumelin. d. d. 8. th. 14. Bossius d. l. n. 7. 4. Metallarii hoc patiantur, ut Princeps metallicarum operarum exercitium mandatis suis promoveat, & inspectores constituat, ne fraus aliqua quoad decimam committatur. Sixtin. d. l. nu. 72. & Petr. Heig. part. 1. quest. 13. n. 51. per l. si ita. §. 1. ff. de usu & habitat. cui addimus l. 1. & 4. C. de metall. 5. Ex æquitate vult deducere Heig. d. l. n. 52. jus illud cuniculo dem Erbstollen quibusdam in locis competens, nona sc. aut seminona portio metalli: qui tamen jure communi nil juris habet. Göden. Cons. 4. n. 1. & 3.

X X X V I I.

Effectus ortus ex primo respicit remedia metallariis competentia, eaque vel possessoria vel petitoria, prout facti species pro ratione circumstantiarum exposcit, quorum diversitates, cū maximè observandæ sint. Jul. Cesar. Glusianus de bon. in sol. dand. l. 1. cap. 31. n. 376. recensendæ essent, sed bevitatis ergò illa tantum, quæ in jure nobis obvenere, attingam? Talis autem est actio ad exhibendum l. 16. de præsc. verb. negatoria, l. 8. §. 5. si servit, vind.

præ

praescriptis verbis *d. l. 16. emti venditi d. l. 16. & per l. 77. ff. de cō-
trah. emt. Locati cōducti l. 52. §. 8. ff. de furt. de dolō l. 34. de dol. cō-
muni dividundo l. 19. pr. ff. com. divid. An verò actio familiae her-
ciscundæ locum habeat in fodinis, tractatur in *Cons. Illustr. 65.
part. 2. ut alleg. à Besoldo th. pr. verb. Bergwerck.**

MEMBRUM III.

D E

Quibusdam particularibus Legibus & Con-
suetudinibus.

XXXVIII.

Haecenus fuere pleraq; ea, quæ ex jure & Dd. scriptis circa
metalla pro virili & temporis ratione eruere potuimus. Quæ
utiq; in suo vigore firma manent, nisi forsan legibus contrariis,
statutis aut consuetudinibus quodammodò limitentur & restrin-
gantur. Præprimis autem à Dd. quæritur, an jus nostrum ratio-
ne domini fodinarum & decimarum hodiè sit correctum? Quod
variè à Dd. deciditur. Ut autem nostra controversia eò rectius
intelligatur, repetendum ex prioribus est, jure hoc certum esse,
fodinas in fundis privatorum repertas esse quoque in dominio
privatorum, adeò ut, quoscunq; proventus ex iis percipiunt, o-
mnes indistinctè eorum sint exceptis iis, *de quibus supra th. 32. &
seq.* Omnes verò hæc leges de dominio, ut & de certo Canone Fi-
sici, nullibi specialiter expresseq; sunt abrogatæ. Cum ergò nō sint
expresse abrogatæ, cōsequens est, illas adhuc in suo vigore esse &
manere per *l. 27. ff. de testam. l. 32. §. ult. C. de appellat. & ita sentiunt,
Dd. comm. Dn. Ioh. Helvic. Schuß ad jus feud. cap. 6. verb. argenta-
ria, postq; alios Sixtin. d. l. n. 47. Unde quoq; Ifern. ad c. unic. sub n.
70. & ex eo Afflict. decis. 321. n. 10. statuunt, amantibus Deum non
esse dicendum, hoc jus esse correctum. Vid. quoq; Dn. D. Gottfrid.
Suevus disp. feud. 5. th. 8.*

XXXIX.

Quamvis autem hæc ita sint, nihilominus tamen dictæ leges
variè à Dd. torquentur, unde variæ quoq; opiniones profluxerunt.
Quidam enim putant, fodinas in loco fisci esse tantum de regali-

D 2

bus

bus, ne mutantur leges ff. & Cod. Alii auri & argenti fodinas ad regalia referunt tantum, & leges ff. & C. de reliquis interpretantur, *vid. supra th. 40.* Alii statuunt, jus commune dominium privatis concedens & fisco saltem portionem certam, hodie esse antiquatum & oblitteratum, ita ut hodie nec ulli hominum etiam in proprio fundo absq; speciali principis concessione metalla quærere liceat *quos allegat partim Dn. Sixtin. d. l. n. 58. partim Dn. Cancellarius Schuß d. disp. 6. th. 19. lit. H.* Alii autem & Dd. comm. dicunt contrarium: Nihil in jure comm. esse correctum *vid. th. preced.* & distinguunt inter ipsam fodinarum in privatorum fundis reperatarum proprietatem, & inter certum canonem fisco debitum, illam esse privatorum, hunc verò tantum de Regalib. Quæ ultima opinio cum non tantum juri nostro conveniat, sed & à Dd. communiter approbetur tam ab exteris quam Germanis, è quibus plurimi allegantur à *Rosenthal. d. concl. 88. & Dn. Sixtin. d. l. n. 45. & 76. ut & à Arniseo. de jur. majest. lib. 3. c. 5. n. 4. lit. B.* eam quoq; sequi tutius erit, *præsentib. Dn. Sixtino d. l. Dn. Cancell. Schuß d. l. Dn. Helvic. Schuß d. tr. de feud. c. 6. §. argentaria. Buxtorff. ad A. B. th. 89. lit. e. Rumelin. ad A. B. p. 3. disp. 3. th. 27. Schneid. ad Inst. de usufr. §. constituitur n. 6. & aliis.*

X L.

Qui Primam & secundam opinionem tuentur, nullo negotio retutari possunt. Tertiam verò qui fovent, nituntur cum text. *in c. un. 2. F. 56. & A. B. tit. 9.* tum generali Germaniæ consuetudine: Sed non videmus, quomodo ex unica ista voculâ in *2. F. 56.* apud quosdam satis obscura, imò particulari, & non nisi ex extensione Dd. generali, leges generales certas & claras correctas esse, evinci possit. Responsio autem ad *A. B. tit. 9.* ex ipso textu satis apparet. Consuetudinem Germaniæ generalem quod attinet, paucissimi eam prætendunt, contra autem quam plurimi negant, *vid. D. Cancell. Schuß & Dn. Sixtin. d. l.* Insuper notum est, Dd. attestaciones de consuetudine esse restringendas ad eorum fora ubi vivunt. *Benvenut. Strach. de decoctor. part. 5. n. 6.* præsertim si illi ipsi non tantum quoad proprium forum dissentiant, sed & eis quoad extranea fora ab aliis contradicatur.

XLI. Quam-

X L I.

Quamvis autem ex prædictis constet, jus commune adhuc in suo vigore esse, attamen & multis in locis ei derogatum esse, nemo negabit. Variant tamen nihilominus variè inter sese locorum consuetudines. Sic in *Saxonia* nemo sine concessione Principis fodere potest, adeò ut, licet Vasallus de omnibus feudi utilitatibus investitus sit, non tamen metallorum sibi vindicæ potestatem habeat, nisi sit de iis expressè investitus. *Dn. Carpz. l. F. p. 2. C. 53. d. 1.* Si verò quis unà cum mero mixtoq; imperio sit investitus, & aurum & argentum reliqua metalla, v. g. stannum, æs, plumbum superet; decimæ saltem Fisco cedunt, residuum verò Vasallus retinet. Si verò pretiosius metallum à viliori superetur, id totum Vasalli est. *Arumens ad AB. disc. 5. th. 5. Heig. 1. q. 13. n. 23. Reusnerus. disp. feud. 4. th. 81. Sævus d. d. 5. th. 8.* quâ tamen consuetudinem contra A. B. non facilè admittendam esse putat *Du. Carpzov. d. l. d. 2. n. 8.* Hanc verè certiore esse confirmat, quâ ferri fodinas Nobiles aliq; privati in fundis suis absq; decimarum vel alterius canonis onere, & sine expressa harum investitura excolere possint. *d. l. n. 10. & latè Rauchbar. p. 1. qu. 22.* Sic quoq; idem testantur de metallorum viliorum fodinis v. gr. de lapidicinis, aluminis & calcis fodinis, miniariis, nitrariis, sulphurariis &c. *Rauchb. d. l. n. 10. & seq. Carpzov. d. l. def. 3. Arnisæus jur. Majest. lib. 3. cap. 5. n. 4. lit. β.*

X L I I.

Eodem modo in *Bohemia* Regno auri & argenti fodinæ spectant ad Regem ex consuetudine, & ad illos, qui à Rege de his specialiter sunt investiti. *Göden. cons. 1. de auri fod. n. 2.* In ordinat. autem metall. distinguitur inter metalla nobiliora & ignobiliora. In *Austria* omnis generis metalla pertinent ad regalia ita ut ne quidem Episcopi, Prælati, Comites, Barones, Nobiles, multò minus ignobiles & privati sine speciali concessione Archiducum ea quærere possint, imò ut omnes salinæ, ferri, argenti vivi & aluminis fodinæ non nisi ab ipsis Principibus, aut quibus specialiter hanc potestatem dederunt, concedi queant. *Ordinat. Metall. Austriac. art. 1. & 7.* In *Italia* nihil fisco debetur ex sulphu-

re, vitriolo & lapidicinis, si in proprio fundo quis fodiat. *Joann. Guidius l. 4. tit. 15. n. 2. in fin.* In *Calabria* esse quoq; venas, quæ certo modo sint *Curia*, refert *Andr. de Isernia ad c. un. 2. F. 56. n. 70.* In *Hispania* omnis generis fodinæ Regis sunt, *Anton. Perez ad d. t. C. de metall. n. 17.* In *Gallia* verò tantû decimæ, *Perez d. l. n. 18.* Salinæ autem omnes propriæ sunt principis, eaq; locari solent publicanis, nec aliunde in vecto sale uti licet. *Cujac. 3. obs. 31.* Ita & in *Delphinatu* de consuetudine licitum est, aurum liberè perquirere in littorib⁹ fluminû, nec de eo decima debetur, dummodò extra eam Regionem non portetur & in propinquiorem officinâ monetariam deferatur, ut refert *Heig. 1. q. 13. n. 48. ex Francisc. Marc. decis. 121. part. 1.* In *Polonia* quid receptum sit, tradit *Arniseus d. c. 5. n. 4. lit. γ.* *Ungaros* autem jure communi hoc in casu etiam uti, testatur *constitutio Regis Ungar. Matthia in decret. 5. art. 56. anno 1486.* quæ regulariter tantummodo jus Regale seu *Urburas* (i. e. decimas.) ad fiscum pertinentes Regi tribuit, possessiones autem ipsas simul cum omnibus utilitatibus, proventibus & juribus Nobilibus pacificè possidendas relinquit, uti ejus constitutionis verba adducuntur ab *Arnif. cap. 5. & à Carpzov. de regal. th. 60.*

X L I I I.

Nunc quoq; adducenda essent, quæ particulariter passim constituta & in usu sunt, præsertim circa cuniculos, specus, investituram, dimensiones & partes metallicas, modos item amittendi fodinas & alia, de quibus in jure nostro nihil in specie invenimus, ut & quomodo ipsa tam inter sese, quàm cum jure communi convenient aut discrepent. Verum cum non tantùm hæcenus plus oneris sustinuerimus, quàm prima opinione conceperamus; Sed & res sit difficilis imò & invidiosa, singularum provinciarum mores & observantias examinare, ut docet, *Dn. Tabor. in d. tr. de præsid. debit. part. 4. art. 7. § 7.* meritò id aliis præsertim in Republ. & foro exercitatis disquirendû relinquitur. Adeoq; tandem concludimus cum *Bartolo & Jafone ad l. quò minus in fin. ff. de flumin.* si venam juris & æqui quæ sitam invenerimus, sit laus Deo Opt. Max. Deinde Doctoribus & Magistris nostris monente *Augustino*

575

stino in c. 65. §. si quis q. 1. 16. Si verò quid allatum, quod Lydium lapidem non ferat, excusabit me difficultas materiæ, ut & inopia Dd. de eâ scribentium. Cum ex tanta Jctorum copiâ pauci quasdam saltem quæstiones tractaverint; nullus verò, quantum nobis constat, ex professo de eâ scripserit, præter unicū istum *Johannem Guidium Italum* jam ante annos 125. denatum, cujus tamen tractatus exceptis *tit. 1. & 4.* proposito nostro vix, aut certè non nisi rarissimè respondet. Proinde quemlibet hujus rei peritum cum Bartolo & Jafone d. l. rogamus, ut post verum operis saporem perceptum illa impura, seposito tamen livoris aculeo, purget, ommissa cõpleat. Quin & ea, quæ præter Legum & Dd. tradita in usu sunt & ab *Heig. 1. q. 13. n. 16.* jamdudum desiderata, colligat, bonoque publico traditione eorum inserviat. Nobis jam satis sit, alios per hoc ad indagandæ veritatis studium excitare voluisse.



FINIS.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

FINIS



00 A 6345

ULB Halle 3
002 912 163




TA-FL

V. 17.

Rebo ✓







DISSERTATIO INAUGURALIS XXXI. 560
 DE 78
JURE METALLICO
 quam
 DEO DUCE

ex
 Decreto & Autoritate
MAGNIFICI ICTORUM ORDINIS
 in Inclyta Noricorum Academia

PRO LICENTIA
 impetrandi
GRADUM DOCTORALEM
 in utroq; Jure

publico & solenni examini
 submittit

VALENTINUS RÖDERUS *Viro*
 SMALCALD:

d. Mens. Octob.
 ANNO æræ Christ: M. DC. LV.

ALTDORPHI
 Typis GEORGI HAGEN, Universitatis
 Typographi.

*Nobilissimo Ampli
 & Excellentissimo
 hami Brunnenmamo
 e² prof. publ. in Incl
 Viadrina. Patrono
 ceptori suo summe vere*

